



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia  
Sacra**

**Montmorency, François de  
Antverpiae, 1638**

Nilus. ex cap. 2. lib. Exod.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

## NILVS IDYLLION.

## A R G V M E N T V M .

Thermvtis, filia Pharaonis, ad Nili crepidinem ludibunda cum puellis suis deambulans, innantem flumini fiscellam iuncea ripæ admotam excipit, aperit; in eâ expositum (crudeli Regis edicto) puellum Hebræum reperit, miserata tolli iubet, Moysen vocat.

**S** *At virides lusi tecum, mea fistula, siluas:  
Flumina nunc cantare libet. præconia  
Nilo*

*Carmines sunt faciendæ. Neget quis carmina  
Nilo,*

*Qui calamos Musis, qui donat habere papyrum?*

*Laudabunt alij, sua quod cunabula celo  
Debeat ignotis veniens hic fontibus amnis;  
Quod Meroen Blemysque riget, Libycosque  
nonales*

*Findat, & Ægyptum nigrâ fecundet arenâ:*

*Plus ego me Nilo fateor debere, quod olim*

*Extulerit placido seruatum gurgite Moysen.*

*Incluta seruato dicamus flumina Moysen.*

*Tertia iam solida fuerat pars acta diæi,*

*Et Sol maiores decliuis fecerat umbras;*

Y 2

Cum



Cum thalamo digressa suo Thermutis ad oras  
 Se fluij lotura tulit. Latus ilicet illi  
 Bis septem cinxere pares atate puella:  
 Quales è pastu ninei referuntur olores  
 Ad vitreas Iordanis aquas, & longa canoros  
 Dant per colla modos. Latè sacer assonat  
 amnis.

Pompa puellarum Thermutim talis obibat.  
 Ipsa chori princeps spatiata crepidine ripæ  
 Præterlabentis nullo propè murmure Nili  
 Despectat pigro dubios in flumine cursus.  
 Dumque videt pictos ultrò citroque phaselos  
 Occursare sibi, quisnam fluat amne secundo  
 Ambigit, aduersis aut quisnam nauiget undis.  
 Lumina sic fallit tacitarum lapsus aquarum,  
 Credat legitimos ut segniùs ire meatus.  
 Huc illuc oculos Nymphæ per cuncta ferenti,  
 Fluminis in medio fiscella apparuit alueo,  
 Mobilibus scirpis & læui texta papyro:  
 Hanc iubet ad ripam missos aduertere nautas.  
 Iussa citi faciunt. Studio Regina videndi  
 Ocyùs oblatam resupinis excipit vlnis:  
 Nève manus niueas inducta bitumine foedet  
 Arca, cauent famula substratis molliter  
 herbis;

Sic oneri timida subeunt: audacior una  
 Vincla picata secant digitis, cistamque recludit.  
 Ecce latens sese vagitu prodidit infans,  
 Aureolo talos à vertice pulcher ad imos.

Qualis



Qualis Amor pingi tabulâ solet. Utraque mala  
 Suauè rubet, guttis aspersa recenter ab amne.  
 Stare cacuminibus florum sic manè pruinas  
 Aspicimus, teretesque rosis colludere gemmas.  
 Detergit pueri Thermutis ab ore madorem.  
 Quod potuit, dulci mouet ille labellula risu,  
 (Officium sensisse putes) & tendit eburnos  
 Simplex blanditijs in regia colla lacertos,  
 Utque suam niçtans inuitat ad oscula matrem.  
 Mota (volente Deo) Nympha est, mentemque  
 benignam

Accipit in puerum, lacrymisque ita fatur  
 obortis:

Heu puer infelix, ipso moriturus in ortu!  
 Viuere dignus eras, nisi lex tibi dura noceret.  
 Sed mihi cur nimium lex in te dura videtur?  
 Est quoque dura nimis. Pereas, viuâsne, quid  
 ad me?

Vive tamen. Sancti cui fluminis vnda pepercit,  
 Cur ego non parcam? Quid? siccine iussa  
 parentis

Despicias, Thermuti, reus seruetur ut infans?  
 Vnde sed iste reus? scelus hæc ætatula nescit.  
 Somnia porro patrem terrent; at somnia nullum  
 Pondus habent. Potior mihi sit sententia Nili,  
 Qui puerum noxâ miserans absoluit ab omni,  
 Et sibi depositum nostras porrexit in vlnas.  
 Num dabo precipitem rursus fluminalibus vn-  
 dis,



Obijciámve feris crocodili dentibus escam?  
 Dî meliora! Dea sed dicitur Isidis unus  
 Nescio quis mystes predicere, magna Canopi  
 Rebus ab Hebræo portendi damna puello.  
 Scilicet in nigrum puer hic quandoque cruorem  
 Carminibus vertet septemplicis ostia Nili?  
 Et dabit immundo ranas pro piscibus amni?  
 Hâsne timet totâ Rex cum Mareotide cunâ?  
 Quin (quod ego potius reor) hæc infantis in ortu  
 Indolis eximia species, hæc gratia vultus,  
 Sæcla Paratonijs promittunt aurea regnis.  
 Et certè fortuna mihi non obtulit illum;  
 Consilio res gesta Dei est. Stat tollere nobis.  
 Audijt ut Marie (nam post carectâ late-  
 tebat.)  
 Mène iubes, inquit, nutricem sistere? Siste  
 Ocyûs, accelera, Regina subintulit: ambas  
 Præmia digna manent. At tu, formosule,  
 posthac  
 Noster eris; & aquis subducte vocaberis  
 Moses.